posita praesens Summarium uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse permisit. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 14 Iulii 1853.

NB. Eadem sacra Congregatio die 23 Aprilis 1676 declaravit, Confraternitates omnes et singulas Sanctissimi Corporis Christi, ubique terrarum Apostolica vel Ordinaria auctoritate erectas aut erigendas, statim ab earumdem erectione, absque nova alia aggregatione esse debere participes omnium privilegiorum, indulgentiarum etc. a Paulo V. Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti de Minerva in Urbe concessarum ac in posterum a S. Sede concedendarum.

Concordat cum originali.

Fr. Ios. Sanvito, Mag. Ord. Praed. Vic. Generalis.

APPENDIX SECUNDA

FORMULARUM

I.

Formulae Benedictionum cum indulgentia plenaria.

Modus dandi benedictionem papalem ab Episcopis et aliis Praelatis servandus.

(*Ex Litteris Apostolicis Clementis XIII, d. d. tertio nonas Septemb. 1762, incipient.* Inexhaustum).

Ritus et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis pro impertienda benedictione una cum plenaria Indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo Crucis emisso et in episcopali throno cum mitra ceterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet:

Expleta in utraque solemnitate Missae solemnis celebratione, imprimis alta voce per ministrum superpelliceo indutum legantur Litterae Apostolicae, quibus Indulgentia plenaria conceditur una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstan-

tibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur [1]). Postea Episcopus surgens, iuxta ritum in Caeremoniali Episcoporum expressum dicet:

Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Ioanni Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis, Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti, descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Demum, post impertitam benedictionem publicabitur la-

1) " Avant tout, l'on devrait lire en latin et en langue vulgaire le rescrit pontifical accordant à l'évêque le pouvoir de donner cette bénédiction. Mais le S. Congrégation des Indulgences a déclaré plusieurs fois (le 30 juin 1840. — Decr. auth., n. 282 — et le 14 juillet 1885 — Cf. Münst. Pastoralblatt 1885 p. 122) que, s'il y a un motif raisonnable (p. ex., pour ne pas trop prolonger l'office, ou parce que le rescrit papal a déjà été lu souvent, ou pour tout autre motif semblable), cette lecture peut être omise, et à sa place il suffira de reciter en latin et en français la formule finale *(Attentis facultatibus)*, pour faire savoir aux fidèles que la bénediction est donnée en vertu d'une autorisation pontificale „ (Beringer Les Indulgences III partie section III formules diverses 24).

tino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae sequenti formula:

Attentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro, Domino Leone, divina providentia Papa XIII, in enuntiatis Apostolicis Litteris expressis, datis Reverendissimo Domino N., Dei et Apostolicae Sedis gratia huius sanctae N. Ecclesiae Antistiti, eadem Dominatio Sua Reverendissima Summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri Papae, Dominationis Suae Reverendissimae et sanctae Matris Ecclesiae.

Modus dandi benedictionem papalem a regularibus servandus.

(Ex Benedicti XIV, Epistola Encyclica Exemplis praedecessorum, *d. d. 19 Mart. 1748).*

Admoneatur populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die quo visitanda est designata ecclesia, de hora denique qua dabitur pontificia benedictio. De quibus quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis, certior fiat.

Postquam statutis die et hora populus ad ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicae Litterae. seu decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam con-

versa pronuntietur. Populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur; post quae sacerdos, nullis circumstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus (ut in Rituali romano praescribitur, cum agitur de benedictionibus, quae extra Missam presbyteris permittuntur) ante altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret:

℣. Adiutorium nostrum... ℟. Qui fecit...

℣. Salvum fac populum tuum, Domine,

℟. Et benedic haereditati tuae.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde stans sequentem recitet orationem:

Oremus. — Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de Sancto, et vota populi huius in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Post quam ad cornu Epistolae accedat, (ut in Actis Ecclesiae Mediolanensis, parte 4: Benedicet in Ecclesia ad Altare stans in cornu Epistolae) et stans in cornu Epistolae non trina, hoc est, triplici signo crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo Crucis benedicat, proferens alta voce haec verba:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater †, et Filius, et Spiritus Sanctus. — ℟. Amen.

Ritus benedictionis apostolicae in articulo mortis a sacerdotibus ad id delegatis impertiendae.

(A Benedicto XIV,
in bulla Pia Mater, *d. d. 5 Aprilis 1747 praescriptus),*

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum ubi iacet infirmus, dicat:

Pax huic domui etc.

Ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta dicendo Antiphonam:

Asperges etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

℣. Adjutorium... ℟. Qui fecit...

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae), neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam, *et sic deinceps).*

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor meus...

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat; et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus *Confiteor*, etc., sacerdos dicat: *Misereatur...* Deinde:

Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; et ego facultate mihi ab apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. — Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. — Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater †, et Filius, et Spiritus sanctus. — Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

II.

Formulae Benedictionum propriarum

nonnullis Ordinibus Regularibus

(ex Appendice ad Rituale Romanum).

Benedictio et impositio scapularis sanctissimae Trinitatis.

(Propria Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum).

Sacerdos indutus superpelliceo et stola albi coloris dicit:

℣. Adiutorium nostrum, *etc.* — ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum. — ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium abrenuntiantes saeculo ferre

sanxerunt, tu ita bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) N., qui (*vel* quae) hoc indutus (*vel* induta) fuerit vestimento, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. — Amen.

Postea aspergit aqua benedicta.

MODUS IMPONENDI DICTUM SCAPULARE.

℣. Adiutorium nostrum, *etc.* — ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominum vobiscum, — ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris: ut hunc famulum tuum (*vel* famulam tuam), cui in tuo nomine habitum Religionis sanctissimae Trinitatis imponimus, tu ita bene † dicere digneris, ut te largiente devotus (*vel* devota) persistat, et vitam consequi mereatur aeternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, *etc.* — ℟. Amen.

Nunc imponitur sacrum scapulare a sacerdote dicente:

Accipe habitum sanctissimae Trinitatis in augmentum fidei, spei, et charitatis; in nomine Patris, et Filii †, et Spiritus sancti.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulo tuo (*vel* famulae tuae) in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare unitatem: quaesumus, et eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniatur adversis.

Deus, qui per sanctos Ioannem et Felicem Ordinem sanctissimae Trinitatis, ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, coelitus instituere dignatus es: praesta, quaesumus, ut eorum suffragantibus meritis, a captivitate corporis et animae, te adiuvante, liberetur hic famulus tuus (*vel* haec famula tua). Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Suscipiat te sanctissima Trinitas in numerum confratrum consororumque Confraternitatis nostrae: et licet te indigne suscipimus, in orationibus tamen nostris precamur, ut tibi sanctissima Trinitas concedat tempus bene vivendi, constantiam perseverandi; et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter iungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis coniungere dignetur in coelis. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Datur benedictio dicendo:

Pax et benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, descendat super te (*vel* super vos), et maneat semper. — ℟. Amen.

Benedictio habitus, ac receptio confratrum B. Mariae Virginis de monte Carmelo.

(*Propria Ordinis Carmelitarum*).

Sodalitati huic nomen daturus, ipso die ad poenitentiae atque Eucharistiae Sacramenta accedat, ut plenariam Indulgentiam a Paulo V concessam lucrari valeat.

Si fieri potest, scapulare benedicendum est ad altare B. V. Mariae de monte Carmelo, duobus cereis accensis.

Sacerdos superpelliceum induat una cum stola albi coloris. Genuflexo, qui habitum recipit, sacerdos stans dicat:

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae: iustitia plena est dextera tua.

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison. — Pater noster, *etc.*, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas, *etc.* ℟. Sed libera, *etc.*

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac famulam tuam),

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,

℟. Et de Sion tuere eum (*vel* eam).

℣. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* ea),

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine, exaudi, *etc.* ℟. Et clamor meus, *etc.*

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Suscipiat te Christus in numero fidelium suorum, et nos, licet indigni, te suscipimus in orationibus nostris. Concedat tibi Deus per Unigenitum suum, Mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi; et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter iungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est autrix et amatrix, nos cum fidelibus suis coniungere dignetur in coelis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

℣. Adiutorium nostrum, *etc.* ℟. Qui fecit, *etc.*

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum,

℣. Domine, exaudi, *etc.* ℟. Et clamor meus, *etc.*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Aeterne Pater et omnipotens Deus, qui Unigenitum tuum vestem nostrae mortalitatis induere voluisti: obsecramus, immensam tuae largitatis bene † dictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium a renuntiantibus saeculo gestari sanxerunt, et sic ipsum bene † dicere digneris, ut quicumque eo usus fuerit, induere mereatur ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. — ℟. Amen.

Oremus. — Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hunc habitum servo tuo (*vel* ancillae tuae) imponendum bene † dictio tua benigna descendat, ut sit bene † dictus, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. — ℟. Amen.

Aspergat habitum aqua benedicta, et imponendo dicat:

Accipe, vir devote (*vel* mulier devota), hunc habitum benedictum: precantes sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. — ℟. Amen.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc

famulum tuum (*vel* hanc ancillam tuam), quem (*vel* quam) Sodalitati sanctae Religionis Carmelitarum sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeat famulari.

Protege, Domine, famulum tuum (*vel* ancillam tuam) subsidiis pacis, et beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentem a cunctis hostibus redde securum (*vel* securam).

Bene † dicat te Conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatissimae Virginis Mariae de monte Carmelo Societatem et Confraternitatem: quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius; et tandem tamquam victor palmam et coronam sempiternae haereditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. — ℟, Amen.

Si autem habitus solum sit benedicendus, incipitur a ℣. *Adiutorium nostrum,* usque ad Orationem *Suppliciter* inclusive.

Deinde aspergat confratrem aqua benedicta, et subiungat:

Ego auctoritate, qua fungor, et mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem sacrae Religionis Carmelitarum, et investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium eiusdem Ordinis. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus sancti. — ℟. Amen.

(Si plures sint habitu induendi, preces praedictae dicantur suis locis in plurali, praeter: *Accipe, vir devote,* etc., quod unicuique seorsim dicendum est ad habitus impositionem).

His expletis, describatur confratris nomen in codice Confraternitatis, et paucis, sed efficacioribus verbis sacerdos eum adhortetur ad caute, pie, sancteque vivendum, ne Deiparam offendat, quam in posterum peculiari devotionis obsequio et affectu colere ac veluti singularem ac dulcissimam Matrem prosequi fas erit.

Formula brevior benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de monte Carmelo.

(*Ab omnibus adhibenda sacerdotibus facultatem habentibus adscribendi Christifideles Confraternitati eiusdem Scapularis*).

℟. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, ℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi... ℣. Dominus vobiscum.

Oremus. — Domine Iesu Christe, humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuaeque Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmelo amorem servus tuus devote est delaturus, dextera tua sanctifica, ut eadem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensus in tua gratia usque ad mortem perseveret: Qui vivis.

Deinde aspergat aqua benedicta habitum et postea ipsum imponat dicens:

Accipe hunc habitum benedictum, precans Sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat atque ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde dicat:

Ego, ex potestate mihi concessa, recipio te ad participationem omnium bonorum, spiritualium quae, cooperante misericordia Iesu Christi, a Religiosis

de Monte Carmelo peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Bene † dicat te Conditor coeli et terrae Deus omnipotens, qui te cooptare dignatus est in confraternitatem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis antiqui; atque palmam et coronam sempiternae haereditatis tandem consequaris. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

Benedictio scapularis nigri et rosarii seu coronae septem dolorum B. M. V.

(*Propria Ordinis Servorum B. M. V.*)

Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus dicat:

℣. Adiutorium... ℟. Qui fecit...

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui morte Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares, et ad gaudia regni coelestis perduceres; respice, quaesumus, super hanc familiam servorum tuorum in nomine beatissimae Virginis septem Doloribus sauciae congregatam, de cuius gremio hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) esse cupit (*vel* hi famuli tui, *vel* hae famulae tuae esse cupiunt), ut augeatur numerus tibi fideliter servientium, omnibus saeculi et carnis perturbationibus liberatus (liberata, liberati, liberatae), et a laqueis diaboli securus (secura, se-

curi, securae), intercessione eiusdem beatae Mariae Virginis, beatorum Augustini et Philippi ac septem nostrorum beatorum Patrum Ordinis Fundatorum, vera gaudia possideat (*vel* possideant). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Conversus ad habitum (seu scapulare) super altare positum, sacerdos dicit:

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres nostri ad innocentiae humilitatisque indicium, in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariae, nos ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut qui (*vel* quae) illis fuerit indutus (*vel* induta, *seu* induti *vel* indutae), corpore pariter et anima induat (*seu* induant) te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. — ℟. Amen.

Aspergit habitum aqua benedicta, dicens:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Deinde benedicit *Rosarium septem Dolorum B. M. V.* dicens:

℣. Adiutorium nostrum... ℟. Qui fecit...

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens et misericors Deus, qui propter nimiam charitatem, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, pro redemptione nostra de coelis ad terram descendere, carnem suscipere et crucis tormen-

tum subire voluisti : obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc coronam, in memoriam septem Dolorum Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicatam bene † dicas et sancti † fices, et ei tantam Spiritus Sancti virtutem infundas, ut quicunque eam recitaverit, ac secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo a beatissima Virgine Maria tibi bonis operibus coronatus praesentari mereatur. Per eumdem Christum Dominum... ℟. Amen.

Deinde sacerdos aspergat coronam aqua benedicta.

Sacerdos imponit habitum et cuilibet coram se genuflexo dicit:

Accipe, carissime frater (*vel* carissima soror) habitum Beatae Mariae Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quas in vita et morte unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus (*vel* induta) sub eius patrocinio perpetuo vivas. — ℟. Amen.

Reddit rosarium dicens:

Accipe coronam Beatae Mariae Virginis in memoriam septem Dolorum contextam, ut dum eam ore laudaveris, eius poenas toto corde compatiaris. Amen.

Hortatur adscriptum, ut regulas observet ad sacras Indulgentias assequendas; denique dat benedictionem:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti, descendat super te (*vel* super vos) et maneat semper. — ℟. Amen.

Benedictio scapularis rubri Passionis et sacratissimi Cordis D. N. I. C. necnon et Cordis amantissimi ac compatientis beatae Mariae Virginis immaculatae.

(Propria Congregationis Missionum).

Genuflexo, qui suscepturus est scapulare, sacerdos superpelliceo et stola rubra indutus, capite detecto, dicat:

℣. Adiutorium.... ℟. Qui fecit....

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, temetipsum exinanivisti, formam servi accipiens, et factus obediens usque ad mortem crucis: tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam dolorosissimae Passionis tuae tuique sacratissimi Cordis, necnon et Cordis amantissimi ac compatientis immaculatae Matris tuae institutum fuit, atque ut illo induti haec mysteria devotius recolant, benedi † cere digneris; ut hic famulus tuus, qui (*vel* haec famula tua, quae) ipsum gestaverit, te quoque, per tua merita et intercessionem beatissimae Virginis Mariae, induere mereatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟.

Hic sacerdos sacrum scapulare aqua benedicta aspergit, et illud imponit, dicens:

Accipe, carissime frater (*vel* carissima soror), hunc habitum benedictum, ut veterem hominem exutus (*vel* exuta), novumque indutus (*vel* induta) ipsum